

ratio licet non penitus conuincat, nequit tamen friuola reputari. Cum præsertim dubium prædictum circa Sacramentorum administrationem non versaretur, vt ex illo ea, aut eorum aliquod, quoad confessionem suam dubia remaneret, & ita docti aliqui censuerunt.

Appellari non posse resoluitur.

Episcopum non teneri stare locutioni ab antecessore nomine proprio facta.

Contra obedientiam non præscribi etc.

Cap. Nihil prodest.

Taciturnitas vnius quomodo aliter non præiudicat.

Non sufficere ad præscriptionem sine titulo.

Appellatio non suspendere sententiam quando Episcopus sua iura defendit.

17 Ego tamen parendum Prælati semper iudicavi, quia id, quod de vsu afferri potest, nequit eidem incommodare: de concordia enim non constat, & ita ille est in sui iuris possessione. Quod verò ab alijs vsus fuerit toleratus, nihil obstat, quia antecessorum gesta non possunt iura successorum infringere; par enim in parem non habet potestatem, vt iura clamant. Hinc locutioni factæ proprio nomine ab antecessore non tenetur stare successor, vt Doctores tradunt, quos adducit Barboza de potestate Episcopi Allegat. 99. & contra reuerentiam, & obedientiam Episcopo debitam ab omnibus, qui in eius diocesi sunt, non præscribitur. Cap. Cum non liceat, de Præscriptionibus. Circa quod varios textus congerit Glossa, & videndus etiam Barboza Allegat. 128. Nec consuetudo contra Episcopum valet, per quam dirumpitur neruus Ecclesiastica disciplina. Cap. Cum inter vos, de consuetudine: quod in casu præsentis videtur accidere, obedientia à Capellanis Archiepiscopo denegata. Pro quo & est illustris textus in Cap. Nihil prodest, de Præscriptionibus; in quo sic D. Gregorius Magnus. Sed illud vos scire credimus, taciturnitatem, atque patientiam nostram, futuris post me Pontificibus in rebus pauperum præiudicium non facturam. Vbi Glossa verbo Facturam: sic ait: Arg. Quod negligentia, vel taciturnitas Prælati, non præiudicat successor, etc. Et licet postea addat per taciturnitatem contra Episcopum præscribi, quod ex toto Titulo dicto comprobari affirmat, quod & videtur certum, quia alias contra Ecclesiam non posset præscribi, cum præscriptio ex taciturnitate procedat; quia tamen illa & longissimum tempus requirit, & etiam titulum, vt manifestè deciditur in Cap. Episcopum de Præscriptionibus, in sexto; qui tamen hic deficit; doctrina illa nequit obstat. Quod autem titulus non sit, ex eo constat, quia nullus ostendi potest præter taciturnitatem (si & hæc etiam potest respectu omnium Prælatorum ostendi.) Et quia præter illam titulus specialis requiritur, vt vidimus: nullus ergo datur. Cum ergo Archiepiscopus in possessione suæ iurisdictionis sit circa dictos Capellanos, potest extraiudicialiter procedens eos excommunicare, etiam si appellauerint, quia appellatio non suspendit sententiam, quando Episcopus procedit vt pars ad conseruationem iurium suorum: sic constat ex Cap. Interposita, de Appellationibus; & Cap. Cum inter Canonicos, de Electione. & tradunt Doctores, quos adducit, & sequitur P. Thomas Sancius Tomo 1. Consiliorum, Lib. 3. num. 227. & hoc quidem supponendo id, quod sub excommunicatione præcipitur, esse aliunde iustificatum; si enim tale non sit, quia aut ex falsa præsumptione descendit, siue ad instantiam partis, quæ non Dei zelo, sed cupiditate inordinatè mouetur; aliter poterit in foro conscientie iudicari: in exteriori autem obedire oportet; quia inobedientia sine graui scandalo stare non solet; & de re agitur in qua nequeunt Ca-

pellani graue detrimentum experiri, sed ad Administratorem reuertamur: pro quo

18 Dico secundò: Administrator, licet recollectis Hospitalis redditibus, possit pecuniâ tali negotiari; si tamen propterea quæ necessaria Hospitali sunt carius emat, aut deterioris conditionis, grauius peccat, & ad restitutionem tenetur. Quod ad negotiationem atinet, ex eo constat, quia ex eâ nullus læditur neque contra voluntatem Domini est: Dominus enim est Hospitalis ipsum; seu pauperes, qui in illo curantur; quibus non est ingrata negotiatio; immò videtur futura gratissima, vt eo pacto sint, qui libenter administrationi se dedant, & ita opus hoc adeò necessarium non deficiat, sed inter viros potentes promoueat. Aliud autem in Assertionem propositum indubitabile est, quandoquidem damnum ex eo emergere nequit dubitari. Exemplum sit: si emendum triticum, quod sanè copiosum futurum, etsi præsentis emeretur pecuniâ, & melius, & minori pretio etiam emeretur: non emitur tamè, quia Hospitalis pecunia negotiationis deseruit: ibi certè graue conscientie grauamen est, & restitutionis obligatio manifesta; & huic similia alia esse possunt.

Assertio 2. Administrator non potest recollectis Hospitalis redditibus, nec necessariis Hospitali negotiari.

19 Dico tertio. Administrator nequit proprias merces maiori pretio Hospitali obtrudere, quam emi ab alio possent, vel alius ab ipso eadem emeret, etiam si maioritas pretij intra latitudinem pretij iusti contineatur. Probat; quia in eo damnum aperitur Hospitali infert, ex officio enim debet omnem commoditatem quaerere, quæ commodè haberi potest: atqui commodè haberi potest res, quæ emitur minori pretio: ergo ex officio ad id tenetur. Quod ex eo aperitè conuincitur: nam si ipse merces tales non haberet, minori pretio emeret, & Hospitalis eam utilitatem haberet: Atqui ex eo, quod ipse habeat, non est Hospitalis deterioris conditionis, cum potius melioris esse debeat, habens Administratorem, qui de necessariis commodissimè sibi prouidere potest: ergo nequit maiori pretio illas aggregere: neque obstat pretij esse iustum; quia ratio adducta persistit, nam si tales merces non haberet, minori pretio emeret intra latitudinem iusti, & Hospitalis commoditatem illam haberet; ergo quòd intra latitudinem iusti pretij sit, obstat nequit. Quando præsertim res pauperum agitur, quæ nõ debet esse materia augendi propria commoda, cum ex eo illis prouenit detrimentum. Pro quo deseruiunt ea, quæ citatis alijs adducit Bonacina Disp. 1. de Restitutione Quæst. 2. Puncto 6. num. 14. & 15. & P. Molina Disp. 552. s. Si verò aliter.

Assertio 3. Peccare proprias merces maiori pretio obtrudere, etiam intra latitudinẽ iusti.

20 Dico quarto. Grauius peccat Administrator, qui ex propriis mercibus aliquas non necessarias Hospitali applicat, etiam si pretio iusto id faciat. Patet; quia in eo non agit iuxta id, quod fidelitas officij exigit, & quod secum fieri vellet, si alius suâ bonâ administraret. Vnde & obligatio restitutionis incumbit iuxta doctrinam receptissimè sumptibus superfluis, quos non debet dominus, cuius agitur negotium, admittere. Pro quo videndus P. Molina Disp. 553. s. Quando nulla: ubi ait teneri eum, cuius negotium geritur, admittere tantum expensas iuxta valorem subsecutæ utilitatis, semper autem aliqua utilitas esse poterit in

Assertio 4. Peccare uti que necessarie non sunt, emendo cum obligatione restitutionis.

fit in casu, de quo loquimur, quandoquidem ea, quæ inferuntur, aliquam commoditatem adducunt; vnde videtur ex hoc obligatio dicta moliri. Sed certè non ita conuincendum est istorum hominum auaritia, vt sicut de viduis quibusdam ab Apostolo dictum: luxuriari in Christo, id est Christiani nominis obtentu licentius lasciuire; ita & isti sub administrationis pauperum Christi prætextu cupiditati famulantur. Quod ergo ait P. Molina ita intelligendum est, vt utilitas illa sumptuum debeat admitti, quatenus ratione illorum id obtinetur, quod per moderationem eorum habereatur, in eo, quòd si habeatur ceteri debeat negotiorum gestor vtiliter negotium perfecisse. Vt si viginti expendit pro re vtili, cum decem sufficerent, valor subsecutæ utilitatis in decem tantum computandus, & decem item tantum admittenda. Pro quo & videndus P. Lessius in Resolutionibus posthumis, v. Restitutio, Casu 8. Si verò utilitas non habeat genus aliquod necessitatis, licet ad voluptatem aliquam aut maiorem commoditatem deseruire possit; in quibus negari nequit quin aliqua utilitas sit, sed non talis, quæ iuxta Domini voluntatem sit; tunc planè faciendâ est restitutio. Quæ quidem nequeunt in speciali proponi, & iuxta rerum occurus varios sunt penitus iudicanda. Sit autem vnum pro multis exemplum, si administrator pileos in eius apothecis corrodatos tinea distribuatur, quos conualescentes secum ferant. Hi enim pro Indis Insoliti. Vel si Linteola ad operienda capita, quæ licet Indis grata sint, & in vsu apud multos; dari tamen non solent, nisi fortè alicuius specialis necessitas postulare.

Sumptus quilibet admittenda vtilitate.

Assertio 5. Indos non demittendos nisi firmata valitudine. Et qualis est obligatio.

per rationem imperatâ moderatione regantur, residui est periculum manifestum. Et residui periculum quantum sit, satis in eisdem, vt generalia Medicorum pronuntia deessent, experientia comprobant. Et dicta quidem obligatio grauis est, quia circa materiam grauem, ad quam se officium extendit: & in hoc quidem non solum contra charitatem peccari potest, sed etiam contra iustitiam, quia Indi ius habent ad curationem dictam, quo non sine iniuria priuantur, vnde & ad damna inde secuta, qui priuaerit, reparanda est obligatus. Item dimissio talis in Hospitalis detrimentum cedit; sic enim eiectione redire solent grauius ægotantes, vnde & maiores sumptus erga eorum sunt faciendâ curationem, & inde etiam obligatio curationis emergit.

22 Dico sexto. Præfati curare debent ne feminae ad infirmos accedant, quæ quidem sorores, aut etiam vxores se ementiri solent, cum sint pellices. Et quia hoc facillè non semper explorari potest, Capellani est serio commendandum, qui ipsorum Confessiones audiunt, vt ipsos potenter admoneant, quibus illi facilius rem omnem non ita verebuntur aperire. Maximum profectò in negligentia istâ periculum, hærescente peccato, dum peccati incitamentum adhæret, nec mortis ipsius propinquissimâ aspectu, recessuro. Et hæc quidem circa Hospitalia Indorum, ex quibus multa possunt Europæorum Hospitalibus applicari. In alijs autem nihil est speciale, quod pro Indicis discutendum occurrat, quibus Regiâ liberalitate succurritur, & Nouenorum pars satis copiosa tribuitur cum prouentibus alijs, de quibus dictum Titul. 2. num. 55. Sicut & de alijs, ad quos speciales pro Indiis obligationes spectant, & per laicas personas exercentur. De quibusdam alijs minutiora quadam tractantibus non est opus differamus, quia & opus nimium quantum excresceret, & si quid ad eorum obligationes pertinet, ex dictis poterit non difficulter intelligi. Ergo ad alia transeamus.

Assertio 6. Feminarum non permittendum accessum.

